



Disputatio medica inauguralis de sudore

<https://hdl.handle.net/1874/347219>

DISPUTATIO MEDICA
IN A U G U R A L I S
D E

S U D O R E,

Q U A M,
DIVINO FAVENTE NUMINE,
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S. S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inlytâ Academia
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbiq; Divini ibidem in
Ecclesiâ Praëconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis M E D I C A E Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisq; in M E D I C I N A honoribus & Privilegiis
rite, & legitime consequendis,
Publico examini submittit

LAURENTIUS BRAUN, Calm. Svec.
DEMORN. Alumn.

Ad diem 10. Maji, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad R H E N U M,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lōc Lxxxix.

DISPUTATIO MEDICA
NOBILISSIMO GENEROSISSIMOQUE

DOMINO

DN. ANDREÆ
SPARRFELDT

TRIBUNI COHORTIS SUEVICÆ
MILIARIÆ

HOC TEMPORE APUD
BATAVOS MERENTIS
OPTIONI

FORTISSIMO

ET

URBIS BREDANÆ

VICE-PRÆFACTO

VIGILANTISSIMO

MÆCENATI

QUOVIS OBSERVANTIÆ CULTU
ÆTATEM PROSEQUENDO.

TRAJECTI AD RHENUM
Ex Officina Francisci HALMA, Academiæ
Typographi, cjs lre lxxix.



GENEROSISSIME DOMINE.



E mireris , quæso , quod *TE* in medio belli flagrantis Theatro constitutum , armis militumque copiis stipatum , inter tubarum strepitum alloqui non vereantur *Musæ* : Scientes quanto à tenera indetate illas ardore colas , quantoque insuper favore & gratia illas foveas , non possunt non , ut in summo etiam ventorum fragore acus nautica Polum , ad *TE* , tanquam naturale desiderii sui Centrum , Sacrumque confugere Palatium. Non latet quantam Martem inter & *Musas* conceperit antiquitas , modernaque confirmare videantur tempora contrarietatem ; Ast unus es *TU* , GENEROSISSIME DOMINE , qui duo hæc Sacra ut felicissimo , ita admirando plane conjungere didicisti vinculo , facereque ut ferox Mars cum innocentibus *Musis* in generoso Tuo pectore placidissime cohabitent. Ita *TE* illi devovisti , ut harum etiam arcana scias : hisque adeo *TE* consecrasti , ut illius intima *TE* non fugiant. Non fortior Miles , quam gnævus optimarum artium cultor , nec acutior es Philosophus , quam præclarus Dux. Hastam vibrare , aciem disponere , pericula firmus subire , non magis nosti , ac abdita investigare , intricata solvere , subtiliaque penetrare. Magnum semper judicatum fuit Heroo sanguini natales debere , indeque naturales quasi Virtutis impetus haurire : Majus est eosdem equestribus Martis exercitiis , hastiludiis , peregrinationibus exsuscitare & fovere : Maximum vero omnium eosdem *Doctrina* & *Eruditione* consummare

*mare & perficere; Si enim ad Naturam eximiam accesserit Eru-
ditio, tum demum singulare quid existere solet, teste Oratorum
Principe TULLIO. Hoc Artis & Martis contubernium ra-
rissimum est, quod, ut TU, GENEROSISSIME DOMINE, apud
Hyperboreos adeo ameris, aestimeris, colarisque, efficit. Hoc est,
ob quod dignum TE judicavit REX, cui Legionum PRAEPO-
TENTI BELGIO FOEDERATO destinatarum unam committere
posset: Hoc denique est propter quod Terras hasce non citius
tetigit pes Tuus, quam de TE illas pervolavit Fama, Aulam-
que adeo implevit, ut, quod rarum, claves Urbis TIBI
tradere, Praefectumque TE ejus creare haud dubitaverit.
Ast quo delabor? Non tantum mihi arrogo, ut insignem il-
lum latissimeque patentem Laudum Tuarum campum ingredi
sustineam: angustior est pagina, quam ut illis angustius cir-
cumscribi possit, & imbecilliores ingenii vires, quam ut il-
lum digne peragrare valeant. Tacita potius mecum venera-
tione omnia volvens, anxius sum quo fato levi huic Disserta-
tioni NOMINE TUO ILLUSTRIS splendorem fenerari, eamque
sacram TIBI facere in me suscipiam. Anxietatem tamen
omnem tollit admirandus ille, quo literatos prosequeris, fa-
vor, meque certiolem reddit summa, quae in TE fulget
humanitas, sereno vultu animoque TE benigno illam ex-
cepturum. Quod si illud impetravero, magnum me quid im-
petrasse existimabo. Pro quo tamen, quod reponam, non ha-
beo, nisi quod, praeter calida pro NOBILISSIMA TUA FAMI-
LIA vota, tesseram hic linquam indubitata, me, quoad vi-
xero, futurum*

NOBILISSIMI ET GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

Dab. Ultraje-
cti d. 8. Maji
Ann. 1689.

Cultorem Devotissimum
L. B.



mpositæ nobis brevitati litaturi, absque prolixiori nominis examine rem ipsam statim aggredimur, de rigidiore Scholarum censura securi: nominasse tantum juvabit *Sudoris* vocabulum sumi apud Auctores dupliciter. (1.) Latè & improprie pro quavis materiæ vaporosæ in quocunque subjecto collectione: ita *Lentiscus Mastichen* sudare dicitur *Renod. de Mat. Med.* quo sensu *Virgil. iv. Eclog. & dura quercus Sudabunt roscida mella*: Sic statua apud vet. sudasse leguntur, *Bartholin. Cent. vi. hist. 93.* & *Cicer. de Divin. l. 2. Deorum Simulacra sudarunt*: cujus rationem dat *Theophrast. l. v. hist. plant.* quia ex *Cedro* conficiebantur, cujus materia nata est humorem exsudare: eodem modo fenestra, specula, canthari, poma, parietes hyberno tempore sudare dicuntur. Huc referri debet mortuorum, qui dicitur, *Sudor*, cujus exemplum, inter plures, habet præcipuum *Korrmann. de miracul. mortuor. p. v. c. 8.* cujusque causa esse poterit eadem ac ruboris illius subinde in cadaverum genis & carnosis partibus aliis notati, *Plater. Quæst. Med. Parad. N. 8.* (2.) Proprie & quidem vel *stricte* pro materiæ roscidæ in cute animalis viventis congregatione, quocunque illud fiat modo: vel *strictissime* pro eo qui caloris ope per cutis spiracula prodit.

§. II. In *Ortu* verò hujus posterioris ostendendo secessum facimus ab illis, qui eum constituunt Vapores nescio quos, in corpore excitatos, & ad periphæriam propulso, ibique gelida aurâ in guttulas concretos: utpote quod dogma plus quam dubium reddet vel solum rarefactis corporibus necessario adscribendum spatium, quippe quod trecenties communiter majus humoris spatio statuitur, quale in machina nostra hydraulico-pneumatica haberi nequit. Cui robur addit glandularum subcutanearum cum valvulis suis structura, quæ, quo minus transpiratio aliqua per exhalationis modum celebretur, vetat & prohibet: Nec *Sennerti* humorem peregrinum amplecti possumus, donec illius existentiam clarius demonstraverit; Sed eum in liquido illo limpidoque, sanguinis tamen purpurâ hæctenus obvoluto humore quærimus, cum altera sanguinis parte integrali, *Cruore*, è cordis thalamo per arterias in extremitates corporis ducto: qui ibi separatus, partim per transpirationem foras prodit, partim per venas & vasa lymphatica, prout fuerit ad ostiola hæc particularum proportio, immediate vel mediate ad centrum redit, reliquæ massæ catholicæ miscendus confundendusque. Hic est quem *Divinus Senex lib. de glandul.* sanguinem album, *Aquam lib. 4. de morb.*

tibus animalibus. Prius duplici fieri potest modo, vel quatenus effervescentia hæc accidit sanguini à proprio sulphure volatili, quod nimis evectum & extricatum, vinorum ritu sponte turgescentium sudorem efficit: Sic dantur qui aliquoties in anno absque prægressa causa manifesta sponte sudant; Vel quatenus in massa sanguinea particulæ cujus cunque generis heterogeneæ congeruntur, quibus natura aggravata irritataque ad harum expulsionem se componit, ita quidem, ut, quo minus id exequatur, si impedimento aliquid sit, graviter inde decumbant, cujus exemplum præbet *l. all. Bonet.* in eo qui nisi singulis septimanis sudaret, pessime sese habebat. Spiritus vero animales, quid valent, ipsa etiam M. S. per se existente quieta, testantur violentæ quædam animi passiones, in quibus per dictos spiritus in hydroticam instigatur sanguis effervescentiam, hinc impetuosius circumpellitur, sudorque cietur. Inter *Evidentes* causas, primas tenet motus corporis citior, currendo, saltando, trahendo, aliove modo diutius continuatus, quatenus tum violentiore musculorum agitatione, vasa substrata eorumque imprimis venæ comprimuntur, & sanguis exagitatus versus cor majori copia fluit, indeque per nixus crebriores pulmonum & cordis in exteriora propulsus, caloris ope compage ejus soluta plus secum serosi adducit, quam ut capillaribus vasorum retroducentium orificiis excipi possit. Huic adnumeratur etiam calor ambiens ab igne solari vel focali, in balneo vel hypocausto ad sudorem provocandum aptus natus. Idem efficiunt non tantum alimenta calida aromatise condita, item largiora spirituum ardentium, vini generosi, cerevisiæque fortioris pocula, sed & jam in genere omnis cibi & potus repletio, quo intuitu *Hippocr.* corpore sudore diffluentia evacuatione egere scribit. Singularis olim Hybernis fuit modus, teste *l. c. Willisio*, ad sudorem accersendum, quatenus febricitantes pannis laneis aqua frigida madefactis involvebant, transpirationemque sic impediendo sudorem elicientes non raro febrim solvebant. Ultimò tandem idem præstant Medicamenta sudorifera volatilia & fixa è triplici Naturæ regno desumpta, dum fermentationem excitando M. Sanguineam ad Laticis nostri profluyium disponunt. Quare vero fermentum hoc sudoriferum alium à purgante fortiatum effectum, diverso adscribi solet motui, ab hisce horum ve diverso, quem secum gerunt, æthere in corpore excitato; adeo ut purgantia veluti motum præcipuè augeant fermentativum vel intestinum, sic diaphoretica progressivum extima versus promoveant: Unde reddi potest ratio, quod hypercatharses sistant sudorifera, illasque, motum tantum ejusque determinationem mutando, suppriment.

§. VI. *Vias* Per quas dictus liquor è machina corporis nostri exstillat, alias statuere veteres, recentiores alias. Illi vasorum sanguiferorum cutaneorum extre-

extremitatibus hoc adscribebant munus; Verum cum nullam fieri absque colatorio secretionem ab accuratioribus sit animadversum, in aliud corporum genus, nostra tandem hoc translatum voluere tempora. Scilicet rete illud mirabile *Cutis* nostra ex fibris arteriarum, venarum, nervorum tendinumque constans, eas ita habet stratas, ut complura inde emergant foramina & meatus: ex quibus non tantum innumeræ propullulant papillulæ pyramidales, extremi nervorum fines, in ultimam cuticulam desinentes, genuinumque Tactus organum constituentes; sed etiam minima vasa lymphatica, ex glandulis miliaribus coniformibus cuti substratis vel simul intertextis enata, quarum ratione *Willis. Pharm. rat. Vol. 2. S. 3. c. 5.* interiorem cutis substantiam appellat glandulosam. Has glandulas secretoria, vascula vero illa lymphatica cum poris, in extima cuticula ab illis formati, excretoria vocamus organa. Quæ omnia cum reliquis in corpore nostro colatoriis hoc habent commune, ut aperiri claudique queant, adeoque sudori faciliorem difficultioremve concedere transitum, quam affectionem præter *Gabelchov. Cent 3. Cur. 73.* ipsa probat experientia, dum interdum mollior æqualiorque existit cutis facies, madescens tunc ob poros apertos corpore, interdum verò, durior asperiorque deplumati anseris ad instar ex occlusis tum temporis meatibus apparet. Hinc est quod avium plumæ, canum feliumque pili ex frigoris occursum erigantur, animaliaque hispida reddantur, cui analogum aliquid in nobis subinde fieri, ipsimet sumus testes. Cujus rei causam cum laudatiss. *Eitmuller. d. op. c. 2.* facimus duplicem, instrumentalem, fibras nerveas, pro quarum contractione oclusio, relaxatione pororum fit reclusio: & efficientem, spiritum animale qui prout cum sanguine vitali omni corporis partitonum debitum largitur, ita ejusdem toniratione, ipsa cutis ejusque pori arctius striguntur, vel laxius dilatantur, dirigente eum interiori aliqua exteriorve occasione, ut sic sudor per cribrum hoc facilius vel difficilius transeoletur excernaturque.

§. VII. Hinc patet duo inprimis postulari *requisita* ad sudorem promovendum. *Primum* in humore est excernendo fluxibilitas proportionata, adeo ut nimiam veluti recusat crassitiem, excedentem sic deprecetur dilutionem & subtilitatem. Prius facit ut in frigore non sudemus, congelatis humoribus organo excretoriis impelli, per eaque expelli existentibus ineptis: posterius ut sub umbra sæpe plus quam ad solem vel focum sudemus, non quod minus hic quam ibi exeat, sic enim majores essent hyeme quam æstate evaporationes, quod absolum; sed quod regnante plus justo calore, externo præcipue, particulæ sudorem constituturæ nimium disceptæ & resolutæ, prius una post alteram in auras avolant, quam secuturæ prioribus pro sudore faciendo sese

adjungere possint: Hinc non nisi post frigidæ haustum in sudorem sensibilem sæpe solvimur. Hujus requisiti defectus facit, ut frigidiora, viscida vel pituitosa dicta temperamenta aliis difficilius laticem hunc excernant: Item quod in morborum intermittentium & paroxysmorum principio nihil vel parum omnino Sudore solvi possit, ligata tum sanguinis humorumque compage, seu cruda tum existente materia: Qua naturæ vi tandem referatâ, in declinatione morbi vel paroxysmi omnia Sudore quasi diffluunt, prout idem Scorbutici, Phthifici aliique experiuntur. *Secundum* est in glandulis & poris, apta illarum horumque configuratio & amplitudo. Quæ quam sint necessariæ palam faciunt, quorum cutis causis connatis vel acquisitis, hisque consuetudine vel morbo ita alterata est, meatusque ita turbati aut oblitterati, ut per eos laticis hujus nihil exire queat: Sic non nisi difficillime sudant Hydropici; Contrâ præsentè hoc requisito, cæteris positis, levi negotio Sudor profunditur prout in animi deliquio, terrore panico, mortisque agone sæpe obtinet, ubi defectu, vel etiam à periphæria ad centrum retractione spirituum animalium, cutis linquitur flaccida, sicque apertis poris, latex serofusus, ex altera circulationis parte deficiente, stagnans quasi copiosius excernitur; cujus contrarium fit in iracundia, furore, similibus, ubi nullus sentitur Sudor, eo quod dicti spiritus alacriores facti extrema involant, cutisque fibras extendendo meatus coire faciant: sic post finita exercitia, quam illis vigentibus, item in somno quam vigiliis plus excernitur sudoris. Eodem modo sudorem (non per se, sed per accidens) movet Opium, Spiritus scil. ligando subsidereque faciendo, hinc poris apertis rorem expellendo, de quibus cum nobis ulteriorem differendi occasionem pagellarum præripiat angustia, curiosos supra curiosa hæcce ad Cl. *Etmuller. de Opii Vi Diaphor. Borrich. de Papaverin. & Wedel. Opiolog. remittimus.*

§. VIII. Varias vario respectu subit Sudor *Differentias*; præcipue vero distinguitur (1) in hereditarium, *Tulp. l. 3. obs. 32.* & contractum. (2) in Universalem & particularem, sic multis caput, pluribus pedes, idque hyeme interdum æque ac æstate, sudant. (3) ratione gradus in Udorem & Sudorem, propriè sic dictum (4) in Inodorum & Olidum, quo refer Fœtidum, *Zacui Lus. Pr. med. mir. l. 3. obs. 74.* morbidis, læprosis ordinarium. Num vero Judæis omnibus & singulis sit talis, hæreo, &, si sit, unde veniat, silent, quod sciam, Auctores: Saltem notorium est hoc incommodum, quod *Tralles. de Malacia* frequentiori Allii usui adscribit. Nec minus de suaveolente ambigo, quicquid persuadere conentur Scriptores de illo Alexandri M. has enim adulationis accusat *CL. Vedel. Physiol. S. III.* assumptis illum, si fuerit, adscribens. (5) in Spontanæum & Coactum. (6) in Criticum & Symptomaticum

maticum, huncque ratione regionis in Anglicum (An. 1486. in Anglia exortum, eamque 40 ann. vastantem; cujus tanta malignitas ut quolibet die 400 aut 600 occuparet, vid. *Sennert. l. 4. de Febb. & Wierus de Morb. incogn.*) & Hungaricum, ambos malignæ febris species (7) in calidum & frigidum. De Sudore voluntario unicum mihi suppeditant *Act. Hafn.* exemplum, quatenus ibi juvenis quidam olim fuerit, qui ad voluntatis nutum, compressis tantum musculis Sudorem exprimere sciebat.

§. IX. *Usum* decernimus Sudori excretorium seu evacuatorium. Scilicet placuit providæ matri Naturæ ut non tantum primæ parvi mundi regiones vomitu & secessu à particulis incongruis noxiisque liberarentur, sed & quod in posteriores propulsus fuerit recessus ope caloris per hanc transpirationis speciem eliminaretur. Illustrant hoc & probant infinita illa, impeditam hanc excretionem, individuorum instar comitum sequentia incommoda, affectus cutanei pruritus & scabies, nec non humorales, Leucophlegmatia, Hydrops, Catarrhi, Febres, inflammationes, innumerique ejusdem commatis alii: Sic nauseam à Sudore, ob frigidum aërem, prohibito, motam observavit *Bayle Probl. Med. phys. 79.* Hinc hypochondriaci quo largiori fruuntur perspiratione, eò ceteris paribus, leviora; quo parciore, eo circa hypochondria sensibilia sustinent pathemata. Per Sudores fermenta febrilia discuti, venenæque expelli vulgò scitur: Et in tremore artuum à mercurio vivo contracto, eundem Merc. se per Sudorem sensibiliter expulisse mihi referre placuit *Excellentiss. Borrich.* Imo per experientiam eo usque jam dudum processere Practici, ut concludere haud dubitent nullam febrem tutò & absque recidivæ metu judicari posse, quæ sine Sudoris evacuatione deserbuerit. Usum verò hunc non magis ad statum p. naturalem extendimus, quam s. n., omnino persuasi Sudorem ratione materiæ æque titulum mereri excrementi naturalis, ac quæ per reliquas deponuntur vias, ut ratione causæ efficientis aliquid interdum, vel forsitan sæpius, minus tale involvere videatur. Quod enim non semper sudemus, haud materialem arguit, inter utramque transpirationem, differentiam, ut placet *Cl. Sennerto*, (vid. §. I.) sed gradualem, si ita loqui liceat, h. e. quod in transpiratione insensibili propter parvitatem quolibet cordis pulsu expulsi sensus non movit, alio tempore, causaque aliâ majori copia collectum in illos incurrit Sudorque appellatur. Huic alium adhuc addit Sudori usum *Illust. Malpighius Tract. de Ext. Tact. Org.* quod sc. non parum faciat ad sensum Tactus exquisitiorem. Observatum enim est papillas cutis nerveas, quas organum tactus primarium primus facit, ea ratione & ordine cum glandulis secretoriis dispositas esse, ut aliquid hinc corulentæ accipiant, ne ejus defectu areferent, vel usu eorum quotidiano callum con-

traherent. Quod ita se habere, non tantum inde apparet, quod in exquisitioris tactus partibus, plantis pedum, volisque manuum frequentiores majoresque observentur glandulæ, sed etiam quod exquisitius tactu explorare possimus madida quasi irrorataque manu, quam aridâ illa squalidaque existente. vid. acutiss. *D. Bohn. l. all. Prog. xv.*

§. X. Viso sic brevissime Sudore sano, incumbit nobis ut eum ægro- tantem h. e. *præternaturaliter* constitutum sistamus. Talis vero est triplici ratione (1) Substantiæ. (2) Quantitatis. (3) Qualitatis. Quoad *Substantiam* fit illud (α) si cum eo aut ejus loco excernantur assumpta minus cocta & digesta. Cujus rationem in primæ concoctionis imbecillitate quærere oportet. (β) si sanguine tingatur, quo de *Henr. ab Heer obs. med. 3. Casp. Hofm. Inst. med. l. 3. c. 1. & Paul. Zach. Qv. Med. Leg. l. 3. T. 2.* Causa vero hujus tincturæ esse poterit vel sanguinis nimia rarefactio & ebullitio, prout id confirmare videtur *Hildan. Cent. 6. obs. 76. & Libav. Comm. Alchym. p. 2. l. iv.* dum de Indo quodam loquitur, qui nulla vi radicem sanguineos Sudores moventem ut proderet compelli potuit; Vel nimia glandularum subcutanearum laxitas, quam probabilem reddit *Tulp. l. 2. obs. 31.* quando emplastrum emolliens indurato Lienis impositum haud exiguum sanguinis partem eliciuisse scribit.

§. XI. Ratione *Quantitatis* peccat Sudor, quando vel augetur, vel imminuitur seu plane sistitur. Nimius prodit vel vitio ipsius sanguinis, vel pororum. Massa S. in causa est (1) ratione circulationis, quæ rapidior plus laticis ferosi per arterias adducit, quam quod reliquis viis reduci valeat. Ea verò quæ hanc efficere possunt, vidimus antea. (2) ratione cruoris & feri compagis laxioris, quæ oriri potest vel à feri aquosi abundantia, vel à sale præcipitante. *Illam* gignere solent (α) aëris humida pluviosaque constitutio vid. *Neurantz. de Purpur. c. 16. & Galen. l. 3. aph. comm. 7.* Unde & Sudorem Anglicum post annum nebulosum Belgium invasisse testatur *l. all. Wierus.* Quod optime quadrat cum fidissima summi Præceptoris observatione *l. 1. Epid. S. 2. T. 10. & Sect. 3. aph. 6.* (β) Potus largior quàm ut reliquæ M. Sæ assimilari queat, post quem proinde crebriores ordinariò sunt sudationes. (γ) Aliæ feri evacuationes suppressæ, cum quibus si unà supprimitur Sudor, hydrops fores pulsare solet. *Hunc* experiri coguntur Scorbutici &c. ut & diuturniores febricitantes, qui tandem in molestas sudationes solvuntur nocturnas. Eundem producunt effectum Sudorifera frequentius adhibita, quorum intempestivum in gravidis usum hereditariam proli accelerare posse sudandi propensionem innuere videtur antea all. *Tulpii exemplum.* Pororum vitio ad crebriorem tandem ferimur Sudorem, dum

si una cum glandulis dictis tono debito orbatu hinc apertiores redditi absque renitentia liberiores justo lymphæ concedunt transitum. Potest autem hoc esse vel ingenitum & naturale, utpote quibus caro mollis est & laxa, cutis plerumque tenuis & cribrosa observatur, *Theod. Corb. Pathol. l. 2. S. 4.* vel acquisitâ, prout frequenter occurrit post diutius continuatam Diætâ sudorificam, cutim longum tempus apertam habitum hinc induere & flaccidiores manere, unde & hi homines levissimo motu & calore in madorem solvuntur.

§. XII. *Imminuitur* ac sistitur Sudor (1.) à Cordis & sanguinis motu imbecilliore & æquabili magis, ratione cujus lymphæ purpureæ appulsus reductioni ejusdem respondet, unde est quod à laboribus cessando & à calore recedendo sponte finiatur sudor. (2.) à sanguinis & seri compage firmiore, quæ non tantum in viscidioribus se prodit temperamentis, sed etiam aliis induci potest moderatè incrassantibus & condensantibus, cujus productor est præcipuus aëris frigidioris, austerorum acidorumque usus nimius, effervescentiam & secretionem humorum refrænans & cohibens, quod insinuant scorbuticorum nonnulli, quorum ob redundans acidum adeo colligata est MS, ut eos nulla arte ad sudorem disponere liceat. (3.) à Pororum nimia constipatione, eaque pariter vel connata: cujus ratione quorundam cutis adeo crassa & impervia est, ut aquam ex pumice citius quam illorum corio exprimas; vel superveniente, eaque nonnaturali, atmosphæra sc. rigidiore, corporis calentis in frigidam injectione, vestimentorum & tegumentorum subita remotione, quæ quanti sint momenti, testis est tales commissos errores insequens dolor, de quo *Laborimb. Med. l. 10.*; vel præternaturali ut in phrænitide, mania, morbis malignis, purpuris, petechiis, in quibus observarunt Practici, æstuante licet corpore, ægro copiosius bibente, stragulis cooperto, pulsu celeri, interdum nullum, etiam post satis generosa propinata sudorifera elici posse Sudorem, cute semper arida, & quasi nonnihil corrugata existente, ægro vero aliàs naturali in statu facillime sudante.

§. XIII. *Qualitate* à statu debito aberrat Sudor (1.) si alio quovis minus consueto imbutus, fuerit colore, eoque vel croceo, qualem se alliquando in febre biliosa vidisse dicit *Hildan. Cent. vi. hist. 77.* Causa cujus in Lympha alieno itidem colore tincta quærenda est: Quam huic affectioni obnoxiam monstrat Magni nominis *Ol. Rudbek. Duct. Aquos.* dum eam se citrinam in ejus à se primum inventis vasis observasse testatur, & *Cl. Sylv. Disp. VIII.* qui illam croceam in iisdem circa hepar vasis notavit; vel atro, qualem in phthifica observavit *Bartholin. act. Hæsn. vol. 1. c. 8.* cujus

causam pronunciat acidum potentius dilutiorem sanguinis partem in nigrorem transformans. (2.) Si sapore alieno prorumpat, vel falso-muriatico, à sero simili in sanguine existente, producto, cujus effectum percipimus singularem in pustulis à Sudore dicto in quibusdam, ætate præcipue excitatis, quas *Celsus l. 5. Med.* Sudamina, *Dieteric. Farr. Hipp. N. 401.* papulas sudorales nominant, quorum quoque meminit *Hippocr. Sect. III. aph. 21.* & *Galen. in Comment.* propter Sudores mordaciores oriri dicit; vel amaro, à bile amarorem suum servante sero permista; vel denique acido, à lymphæ Succove pancreatico acidiore, *Sylv. Pr. l. 1. c. 58.* (3.) Præternaturalem odorem spiret, vel ab assumptis, vel humoribus corruptis in febb. v. g. malignis, vel ab excernendis aliis cohibitis, Urinaceum puta ab Urinæ suppressione, & ad MS. regurgitatione. (4.) Si justo crassior & lentior sit ob pituitosam feri dispositionem. (5.) contra justo dilutior fuerit, à tali lymphæ productus, vid. *Etmulleri l. all. concl. 2. §. 1v.* (6.) Si frigidus prodeat, vel, juxta *Sylv. Pr. l. 1. c. 34.* ob acidi abundantiam, vel ob motus sanguinis diminutionem, hinc caloris defectum Syncopizantibus &c. ordinarium, *Lud. Merc. conf. Med. 25.* (7.) Si sulphureus & sub arenularum forma spiracula penetrat, cujus exempla. *ll. all. Circ. phys. & Bonet.*

§. XIV. In statu hoc Pathologico constitutus sudor *Therapejam* à nobis postulat qualemcunque. Quod itaque ad quantitate aucta peccantem spectat, intentio Medici abundantis lymphæ diminutione, pororumque adstrictione præcipue absolvitur. Cui facient satis conveniens primò diæta, quatenus in illa vitat æger humidum aërem & nebulosum, exercitia violenta fugit, corpus mediocriter tegit, parum, idque acidiusculum bibit, assis & ex succis vescitur, à volatilioribus & spirituosissis cavet: Deinde Pharmacia, è cujus fonte hauriantur omnia terrea, insipida, stiptica, chalybeata, opiata. Quibus morbo non cedente, ad humoris diminutionem per hydragoga & Sudorifera aperta dicta accelerandum; mirandum enim est, inquit *Bontek. ll. all. c. 19.* morbos qui in magno Sudore consistunt, solo sæpe Sudore sanari. Quod si vero reliquarum feri sollempnium evacuationum, Urinæ puta, &c. Suppressione excessus hic accidere intelligatur, earum secessus per apertionem illi inservientium viarum promovendus erit. In poris occludendis præter interna dicta, exteriores etiam commendantur administrationes, veluti inunctiones totius corporis rebus oleosis, vel imbuta hisce & per tempus aliquod gestata lintea: quibus addi poterunt Balnea frigida, cœli è calidiore in frigidius mutatio, reliquaque è Practicorum voluminibus haurienda.

§. XV. Contrario agendum est modo cum *Imminuto* vel in totum suppresso

presso innoxio solito Sudore. Pro quo evocando pugnans cum priori in-
 fituendus est rerum nonnaturalium usus, Medicamentaque quærenda, lym-
 pham deficientem quæ restituere, sanguinis motum excitare, poros obstru-
 ctos referare valent. Horum, secundum *Cl. Willis l. c.* alia sunt, quæ per
 partes suas integrales, alia quæ non nisi post analysin Spagiricam, intentio-
 nem Medici supplent. Illa sunt Radices, v. g. Folia, semina &c. vario mo-
 do præparata, variisque formulis pulveris, boli, conservæ propinata. Quæ
 agunt vel per salem aliquem volatilem, acrem, amarum, prout faciunt ea,
 quæ à veteribus pro Antidotis habebantur, è vegetabili ut plurimum regno
 hausta; vel per salem alcalisatum, ut Lapides, vegetabilium animaliumque
 partes ossæ, qui uterque exoticus sanguinis motum concitando, vel hunc
 sistens acidum absorbendo ferositatem solvit solutamque exire facit: Hæc
 vero vel spirituosæ, vel salinæ eaque cujusque fere status, maxime tamen vola-
 tilis, fluidi, fixi, nitrosi, quæ vel olei instar, ad flammam accedentis cruorem
 accendendo, vel hunc combinatum nimis referando recrementa sub sudoris
 forma amandant. Ad Sulphuream vero propius accedentia naturam pro su-
 doriferis minus esse idonea, vel unicum satis testari poterit haud rite præ-
 paratum Antim. Diaph., quippe quod ventriculo & intestinis ob particulas
 Sulphureas inimicum, illum & hæcce vellicando spasnumque inducendo vo-
 mitum vel alvi secessum producit; vel etiam, si sudoris aliquid promo-
 vebunt, id non nisi lentè & tardè admodum faciunt. Balsamica tamen quæ-
 dam naturalia & factitia cum salinis vel absque data, corpus ad liberius eva-
 porandum disponere experientiâ constat. Supra applicationem sudorifero-
 rum per *Infusionem Chirurgicam* curiosos remitto ad *Ettmuller.* de eadem di-
 sputationem.

§. XVI. Quoad ipsam *Substantiam* si peccare videatur Sudor, ita ut cru-
 dus, uti dictum, prodeat, primas vias corroborare; tonoque suo resti-
 tuere debere indicatur. Inter diversa *qualitatum* vitia, quod ad *acidum* atti-
 net, pro ejus correctione adhibenda sunt Temperantia seu Præcipitantia
 alcalia dicta medicamenta, Hydragogis, si necesse, per alvum eliminata
 lymphæ. Quanti etiam in acido infringendo usus sint Acidulæ naturales
 (quo etiam refer Artificiales dictas) vid. *Carol. Piso de Morb. Serof. Sect. iv.*
 & præter eum Ampliff. *D. D. Hierne S. R. Mtl.* Sveciæ Archiatrum, Me-
 dicum pariter ac Chymicum celebratissimum, in variis de Acidulis Mede-
 viensium scriptis. *Salsum* Sudorem muriaticum emendabunt non tantum Sa-
 turnina, sed & antiscorbutica dicta, fortioribus, mercurialibus scil., si è
 re fuerit, exturbata lymphæ purgantibus. *Amarus* medicamenta postulat
 acida volatiliora, Acidularum usum laticisque tandem per cholagoga edu-
 ctionem.

tionem. *Viscidus* sui attenuationem per salia acria incidentia & evacuationem per alvi secessum, vomitoria, vel Diuretica. *Tenuitatem* nimiam Sudoris corrigent, consistentiamque debitam reconciliabunt acida blandiora cum lenissimis mista adstringentibus, non quidem per qualitatem occultam, prout Cl. *Sennario l. v. Infit.* placet, sed quod hac ratione adstrictis humoribus porisque quod antea halitus tantum jam humoris forma egrediatur. Odor fatidus per suppressorum apertionem, usurpatorum interdictionem, vel si symptoma fuerit, morbi curationem evanescet: pro quo etiam tollendo si temperamentum fuerit biliosum, juvare poterit consilium *Balonii l. 2. conf. II.* *Frigidus* sudor, si ab acido, sui correctionem per salia alcalia volatilia vel fixa, sin vero à viribus collapsis, earum restitutionem per eadem volatilia additis aromaticis, indicat.

§. XVII. Pharmaceuticam *Semeiotica* sudoris brevissima itidem excipit consideratio. Quemadmodum enim una est Excretionum naturalium, ita de constitutione corporis laudabili vel minus tali, æque si non magis ac reliquæ testari novit. In genere autem notamus illum f. n. parce satis profluere debere, adeoque copiosorem semper aliquid P. naturam indicare, momento id *Hippocr. de Jud. T. 8. N. 9.* item *sect. IV. aph. 41. sect. VII. aph. 61.* specialiter vero in Apoplexia e. gr. cum spirandi difficultate mortem denunciare *Coac. N. 320.* in Opisthotomo lethalem esse *Coac. 194.* sudorem, qui in febribus acutis multus est, malum esse, *Præd. l. 1. T. 1. sect. IV. aph. 56.* illum, qui comitatur desipientiam & respirationis difficultatem, mortem præfagire *Coac. N. 130.* Illum malum esse qui lumborum diuturno cum ardore fastidioso & nauseabundo vexatos corripit *Præd. l. 1. T. 6.* in facie cum febris acuta malignitatem denotare *Coac. præd. N. 74.* Sudorem particularem illius partis, à qua promanet, morbum denotare, præeunte *Hippocr. sect. IV. aph. 38.* hætenus inter Medicos convenit; eos tamen erroris accusare non dubitat *Ballon. l. 2. conf. 26.* experientiam testans, eum capitis e. g. conferre, nec Hippocratem ephidrosin damnasse, nisi ubi generalis esse debet. Ratione qualitatum *crassus* ac lentus sudor in morbi principio pituitosam humorum constitutionem, hinc morbum lentum arguit, vel ferri nutritii evacuationem in morbi progressu, hinc contabescentiam & certam denique mortem. *Frigidus* vero si in morbi principio fuerit à febre mitiori morbi diuturnitatem denotat, in acutis vero mortis instantis præco est. *sect. IV. aph. 37. de Jud. T. 8. Coac. N. 40.*

§. XVIII. Sudorem *coctionis signa* suppeditare ex mente *Hippocr. sect. I. aph. 12.* nonnulli defendere volunt; verum licet sudores sæpe evacuationum criticarum laudabilium quædam species sint, vix tamen coctionis signa dare valent

perfecta, sed potius de Sudoribus, an laudabiles, an minus tales sint, aliis
coctionis & cruditatis signis demum concludendum venit. Nam vero Crisis
per Sudorem futura sit, Urinæ suppressio, & hanc sequens rigor, pulsus
mollis & undosus cutisque rubor, mollities & caliditas demonstrant. In
quo casu nec alvus sollicitanda, nec urina provocanda, prout ejus peccati
multos arguit *Ballon. Pharm. l. 3. & Henr. ab Heer obs. p. 62.* ne sudandi
occasionem adimamus naturamque in suis operibus turbemus. Nam quibus
alvus humida & humor ad vesicam fluit sudant minime. Interea tamen si
initio morbi humoribus adhuc crudis, sudor sit præsens, aliquid omnino
per purgationem uti & per venæ sectionem moliri licebit: inanis enim tunc
est naturæ conatus materiam non dum coctam & mitificatam amoliri volentis,
Hippocr. l. 2. Epid. Aliò proinde determinanda est, ne de via errando,
morbo tandem succumbat. Ut enim Dominam hanc in recta via constitu-
tam sequi, necessarium, sic illam declinantem reducere Ministro glorio-
sum.

S. D. G.



C

In

In DISSERTATIONEM Egregiam

Eximiae indolis & exquisitae eruditionis

VIRI - JUVENIS

Dn. LAURENTII BRAUN NICOLAI,

Amici mei inter primos honoratissimi,

Cum omnium applausu Medicinæ DOCTOR crearetur.



Uam primum copia mihi facta est hisce diebus videndi novum ingenii tui factum, soliditate non minus quam infrequentia insignem, *Disputationem* dico de SUDORE, subiit fateor animum & anteaeta vita tua & studia, quibus Te à teneris devovisti, pulcherrima. Quæ inquires? Illa multi Sudoris, variisque afflictionum tempestatibus agitata, quorum imaginem sic satis appositè præ se fert Materiei hujus inscriptio. Novimus enim, quibuscum intimior necessitudinis usus Tibi olim intercesserat, quam curtis, ut ita fari liceat, remis circa litterarum litus pueritia tua ludit, & fortunæ ventus quam adversum tenuit adolescentiæ tuæ, UPSALENSIUM Musarum salum ingressæ, ubi tamen ante egressum specimina non pœnitenda profectus sui publico juri feliciter vindicavit. Novimus quoque quam turbida Tibi ob facultatum tuarum tenuitatem, facta est aqua, quum ante
annos

annos aliquot navem altius in experientia ac doctrina
pelagus immitteres atque vadum hoc potissimarum par-
tium Europa, in quo jam ad tempus inceptae perigri-
nationis ancoram ejecisti, tentares. Tantum abfuit ut
irati hi Neptuni fluctus, quibus vitae ac studiorum tuo-
rum cymba huc usque pulsata fuerat, animum frange-
rent, ut potius eundem, ad altiora vocatum, magis ma-
gisque erigerent, acuerent, verove robore confirmarent.
Vulnera quò graviora infliguntur corpori, eò salubrio-
ra esse solent pharmaca animæ: Sed nullum acer-
bius homini incumbit malum, quam quod contumaci-
ter patitur, nihilque tam exasperat fervorem doloris
quam ferendi impatientia. Sudandum, sudandum igitur
in hoc bonarum artium stadio persuasissimum Tibi
habuisti, nec arduum quicquam, nec difficile esse ei,
cui natura numquam extitit difficilis. Conveniens magis
ingenuo erectoque tuo animo semper fuerat, obviam irè
novercantis fortunæ incurfionibus & strenue devorare
quicquid molestiarum sese obtulerat in hac mundi pale-
stra, quam abjecti instar pedem à laudatissimo proposito
turpirer referre, inque desperationis scopulum impin-
gere, naufragio pusillanimatorum infamem. Non cur-
renti, sed decurrenti palma posita est. Quam mentem
Tibi, Amicissime Dne. BRAUN, non possum non
hac occasione gratulari, mihi que impensè gaudere, quod
in exoticis hisce terris, juxta tot ac tantorum virorum
alloquia & familiaritatem, etiam frui contigerit tuâ, sin-
gulari

gulari cum eruditione, candore, constantia, morumve
probitate conjuncta. O me beatum! si vel in hoc Hel-
licone tecum sedem diutius figere commissi mihi muneris
ratio permetteret. Tibi quoque ex animo gratulor, quod
Athleta indefessus sudaveris in hoc studiorum circo &
Te non moveris, sed promoveris, donec LAUREA
DOCTORATUS, ceu præmium diligentia ac Sudore
dignum, rite decerneretur. Gratulor insuper Lumini
illi & Ornamento Dioecesis Calmariensis, Parenti tuo
optimo, raræ indolis filium, suæque senectutis solatium.
Quodque reliquum est supremum Numen supplex vene-
ror, ut quemadmodum Exercitio hoc tam egregio sivit
Te nunc in gratiam redire cum exantlatorum Sudorum
ac molestiarum procellis, quæ in hunc ferme diem Te
domi forisque exercuere, ita in posterum eandem indivul-
so intimioris fœderis vinculo connectat, itemque res tuas
in perpetuæ tranquillitatis portum deferat; Peractisque
hic locorum feliciter peragendis reducem Te, cui crever-
ras, Patriæ dulcissimæ, Patri carissimo, bonisque omni-
bus, & in sudo sistat. Hisce nihil prius, nihil antiquius
erit Tibi.

Lugd. Battav.

$\frac{20}{10}$ April

An. 1689.

*Omni amoris & officiorum genere
addictissimo*

ERICO GRAAN,

Legion. Svec. Past.